



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCCXLVII. ad annum MDXXVII.

**Parisiis, 1644**

XXVI. Incontinentes sacerdotes & concubenarios clericos, itidem venatores,  
& negotiis saecularibus deditos, grauitè esse puniendos.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15644**

In incessu quoque honestatem exhibeant, vt grauitate itineris, mentis maturitatem ostendant. Incompositio enim corporis, risus dissolutus, indecens oculorum vagatio, inæqualitatem indicant mentis.

In conuersatione autem cum laicis ita se habeant, vt neque ex nimia familiaritate, aut conuersatione æquali, reddatur contemptus dignitatis: neque ex nimia austeritate, fastu aut pompa, superbi aut plus æquo elati iudicentur.

Qui ludi a clericis sunt vitandi.

Neque in publico ludant pila, aut aliis ludis, maxime cum laicis. A ludo alearum, aliisque, qui a sorte pendent, abstineant: neque ludentium fautores, spectatores, aut testes existant.

Non se admisceant choreis publicis, tripudiationibus, aut saltationibus: non turpes, amatorias, aut lasciuas depromant cantilenas, seu cantantibus faueant aut adsint.

Non in scenam velut histriones prodeant, non comœdias vernaculas agant: non spectaculum corporis sui faciant in publico priuatoque loco.

Quæ omnia cum omnibus sacerdotibus sunt indecora, & ordini clericali multum detrahentia, tum illis præcipue, quibus animarum cura est commissa.

XXVI.

Incontinentes sacerdotes, & concubinarios clericos, episcopi per se vel suos officiales ad continentiam & ecclesiæ regulam remediis conuenientibus reuocabunt. Salutare pœnas, iuxta sanctorum patrum decreta, & sacrorum ac generalium Conciliorum Canones, in illos (si moniti non desistant) exequentur.

Contra clericos venatores, vel negotiis sæcularibus implicitos, si a venandi negotiandive consuetudine moniti non desistant, ad pœnam Aurelianensis Concilii & alterius Lateranensis procedetur.

XXVII.

Et cum sacrum Viennense Concilium statuerit, vt monachi in suis sibi commissis administrationibus vel prioratibus non præsumant soli habitare, sed si prouentus prioratuum vel administrationum huiusmodi forte non suppetant, duobus aliis vicinioribus locis, ad eorum monasteria